

que sunt humaniores litterae?

Q. D. B. V.

AD

ACTVM ORATORIO - VALE- DICTORIVM

IN

GYMNASIO MERSEBURG.

IPSIIS APRILIS CALENDIS

A. O. R. M. DCC. XVII.

statim ab hora II. pomeridiana
instituendum


SVMMOS dicti Lycéi INSPECTORES, PATRO-
NOS atque FAVTORES,

QVA DECET OBSERVANTIA ET HYMANITATE

invitat

M. ERDMANN VHSE, Rector.

MERSEBURGI, literis Christiani Gottschikii, Typogr. Aul.



Magnifico Dr. Schachet dicitur.



Vae & quales sint *humaniores literæ*,
in studiis ac imprimis iuventutis gratiam brevissimis
hic loci exponere, forte non erit incongruum. Au-
diunt eae *humanae*, quippe hominibus divino adiutorio
auxilio suum debent & ortum & splendorem; ho-
minibus solis omnis bonitatis fons haec vitae humanae impertivit ci-
melia præstantissima; eadem studia ad humanitatem pertinent, iisque
puerilis æque ac iuvenilis actas ad humanitatem solet informari et ho-
minum mores humaniores reddi. Appellantur illæ literæ & *politior*
humanitas, dum homines iis politi mirum quantum præstant illis, qui
nulla humaniorum studiorum elegantia animum suum ornarunt or-
natumque nobilitarunt. Eas literas quoque *bonas, ingenuas & libera-*
tes vocari artes, Gallis *les belles lettres*, vel pueris est notum, cum iudi-
centur dignac bonis, ingenuis atque liberalibus hominibus, bonam,
ingenuam liberalemque Deam, Virtutem, in interiori pectoris larario
venerantibus, nec viitorum servitutem servientibus. In horum vero
studiorum censum imprimis veniunt *Grammatica, h.e. latinae & gra-*
cae linguarum notitia, Poësis, Oratoria, Logica atque Historia, nec non
disciplinac aliae in Gymnasiis & Academiis ad Philosophiæ usque tra-
stationem prælegi auditoribus solitae.

Quidam male feriati homines studia ista scholastica in exilium a-
genda suadent, id agentes, ut ignaviae & ruditati suae prætendant
velamen, cum sint ignorantiae fratres, hocce intendentes, ut isti præ-
fidiis deicte ali i tanto proniore ipsiis substringant aures, imitando
Philistacos, qui sollicite cavebant, ne Iraelitis esset faber aut armo-
rum facultas, quo iis eo imperarent securius: inde tot accongesser-
unt in bonas literas convitia. Verum enim vero faciunt næ isti ho-
mines intelligendo, ut nihil intelligent. Quod linguas, quibus in scho-
lisi mbui solent adolescentes, omni usu carere criminantur, id di-
cunt stolidi splendideque mentiuntur. Tralatitium est, linguam Grae-
cam, adde & Ebraeam, addiscendam, ut ex ipso fonte tutius, purius,
dulcius sensum divinorum oraculorum haurire, & emphasis sacræ di-
ctionis, quæ in aliud idioma, quiaf è nativo solo in alienum translata,
maximam partem exspirat, assequi detur. Neque minus in vulgus est
notum, linguam Latinam non modo orunis eruditioñ esse vehicu-
lum, sed sacrae quoque Historiae illustrandæ ex antiquitate Romana
non modicam fieri accessionem. Rhetoricam discimus & Poësin,
non ut more rustico mentiamur, sed ut veritatem sub aliquo involu-
cro apte, distincte, ornate & cum quadam delelatione dicamus, inq;
hominum animos demittamus. Logicae navamus operam, non
ut alios decipiamus, sed, ne ab aliis decipiatur, nobis caveamus, nec
non

non ut veritatem eruamus erutamque tueamur. Historiarum lectioni aliquod inpendimus tempus, ut partim, quid ab aliis gestum, intelligamus, partim facta laude digna imitando minus recta fugiamus. Quae cum ita sint, juventus hodierna valde peccat, quod studia fere praecepsit gradus nullos patitur fieri, & prius sapere quam loqui, & quidem apte loqui vult addiscere: sic enim accidit, ut sibi non tantum male consulat, sed & Reipublicae saepius haud parum afferat detrimenti. Nam licet quis plura, eaque eximia, didicerit, caeterum ea digno ac decenti sermonis genere proferre nequeat, perinde proponendum est, ac si nihil plane didicent. Ac nescio, utrum ridendi magis sint, an miserandi potius illi vitilitigatores, qui fastuo superciliosi humaniora despicientes studia, sese Realium titulo pompatice jactant, Verbalium penitus neglecto atque reiecto. Quasi vero è probae notae auctribus, à quibus cum Graecium Latinus sermonis pender puritas & elegancia, nil nisi verba inania & quaedam sermonis lenocinia, & non una cum optimo & praefantissimo dicendigenere pulcherrimam gravissimarumq; rerum cognitionem haurire ac discere licet? Praeterea hoc seculum nostrum tropica quaedam invasit avarities, & doctior hodie existimatur, non qui eruditior, sed qui pecuniosior est, inde ad lucrosas potius convolatur artes, longeque formosior videtur auri massa, quam quicquid Graeculi Latinique scripsere sapientes. O si autem illi humaniorum literarum contemtores rite spenderent, quantae utilitatis, quantaque necessitatibus ea esse soleant studia. Omnis sane, judice B. Schurz fleischio in Epistolis suis arcanis no. 287. vera solidaque sapientia ab his elegantiis studiis ducit colorem & habitum, nec quicquam exspectatio ne dignum est, quod his & talibus doctrinae praeficiis caret.

Quae huic usque dicta, optimè non modo agnoverunt, sed & observarunt strenue juvenes ornatissimi publico aliquando summa cum laude profuturi, qui hac vice numero quinario in publicum prodire verbaque ad Auditores benignissimos facere in animum induxerent. Saltus in studiis, quo non pauci hodie delectantur, ipsis hactenus minime artis, sed bona methodo quaeviis, ducibus Praeceptoribus, tractare nunquam non sunt conati, quia indefessa beneque ordinata diligentia id obtinuere, vt nunc cum honore Gymnasium nostrum Episcopale cum Academia sine ullo impedimento mutare possint. Legerunt etiam ultimum publice in auditorio nostro supremo dicturi argumenta è literarum humaniorum circulo perita, cumque singuli poëtica artis fuerint avidissimi, de eadem imprimis actura ipsis visa themata, quibus breviter explicatis & Deo & Principi, omnibusque, quibus se plurima debere ingenue factent, gratissimum testatum ibunt animum, iisdem ultimum acclamando vale & prosperima quaeque apprēcando.

Vt



V
D
18

Vtautem Actus hicce Oratorio - Valedictorius eo meliori instituatur ordine, duo ex ipsorum commilitibus, modo dictis Academiae Candidatis dignissimis improbo prudentique labore neutiquam cedentes, *Prologi* sustinebunt vices atque *Epilogi*. Prioris itaque actus personam

Gerge Carl Eichelmann/Homburgo-Hassius,
Auditorum Spectatissimorum, qua pars est, reverentia ex osculabitur praesentiam exoptatissimam, intimatus dicenda benignissima auditia humillime expetita. Illis praemissis valedicturi sequenti verbis facient ordine, nempe

Christoph Stelzner / Sceudicensis,
de POESEOS dicit AMPLITVDINE.

Johann Gottfried Reinhold / Wæhlicensis-Misn.,
de POESEOS aget ESTIMIO.

Johann Gottlieb Focktmann/Merseb.,
de INGENIO perorabit POETICO.

Joh. Christian Philippi/Gramboviensis-Megap.,
sobria mente ac lingua FVROREM explicaturus est POETICVM.

Johann Gottlob Braun / Alslebiensis-Saxo.
Elegis concinnis atque enodibus LAVREAM evolvet POETICAM,
eadem ipse dignissimus, quo de post plurima alia & valedictorium testabitur specimen. Hisce locutus

Carl Christoph Hösler / Martisb.
Epilogi functus munere voto quodam propemtico comitabitur ab eundem Auditoribus Gravissimis persoluturus, quae ipsis debentur, grates.

Ad sint igitur frequentes atque benevoli, quibus Athenaci nostris salus & fama curae est ac cordi, audiant dicturos, quia hactenus soliti sunt, benignitate, expectando pro hoc summi favoris exemplo devincentissimum meum & oratorum novellorum animum. Quod superat, ex intimis peccatoris mei precor recessibus, ut abituros Deus gratia sua in Academiam comitetur, illorum coepitis honestissimis clementissime annuat, eosdemque aliquando utilissima effusat Reipublicae membra. Scribebam Merseburgi die XXXI. Martii Anno M. DCC. XVII.



nc

qace sunt humaniores litterae.

Q. D. B. V.

AD

CTVM ORIO - VALE- TORIVM

IN
SIO MERSEBURG.

SIS APRILIS CALENDIS

R. M. DCC. XVII.

o hora II. pomeridiana
instituendum

céi INSPECTORES, PATRO-
que FAVTORES,

OBSERVANTIA ET HUMANITATE

invitat

MANN VHSE, Rector.

eris Christiani Gottschikii, Typogr. Auf.



Farbkarte #13

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	Black	B.I.G.
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9
8									
7									
6									
5									
4									
3									
2									
1									

Magnifico Dr. Schachet Hlo et LL.